

dictus dominus rex contra formam presentis pacis possit capere vel invadere dicta loca. Item fuit actum inter dictas partes, quod adherentes et sequaces dicti domini regis intelligantur et sint inclusi in presenti pace, videlicet spectabiles viri Guecellonus, Gerardus et Rizardus de Camino comites cenetenses cum ipsorum subditis, locis et fortiliiciis quibuscumque. Et similiter pro parte communis Veneciarum spectabiles viri Rambaldus et Ansedius comites de Colalto tamquam ipsorum Venetorum adherentes cum ipsorum subditis, locis, et fortiliiciis quibuscumque includantur. Demum fuit inter partes predictas dictis nominibus, quod super non specificatis et declaratis in presenti pace stetur paci antique inter partes predictas hactenus celebrate.

Et supradicti Sindici, actores et procuratores et ambasciatores et nuncii speciales dictorum dominorum ducum, consiliorum et communium Janue ex una parte et Veneciarum ex altera parte pro dictis dominis ducibus, consiliis, comunitatibus, civitatibus, terris, subditis et fidelibus, adherentibus, vallitoribus et sequacibus ipsarum partium et cujuslibet earum in quibuscumque mundi partibus existentibus contraxerunt sibi invicem mutuo et vicissim et inter se bonam et veram pacem dirigente domino perpetuo duraturam. Et primo sibi invicem et vicissim remiserunt omnia odia, rancores, injurias, offensas, cedas, vulnera, captiones, raptus, rapinas, incendia, violationes et alia quecumque dapna tam realia quam personalia per dictas partes vel aliquos subditos ipsarum partium vel alterius earum, seu aliquas gentes, vel singulares personas ipsarum, vel alterius earum, seu adherentes, complices, vallitores vel sequaces ipsarum partium, communiter vel divisim contra reliquam partem, terras, subditos, gentes, vel singulares personas ipsarum seu adherentes, complices, vallitores vel sequaces ipsarum partium, communiter vel divisim contra reliquam partem, terras, subditos, gentes, vel singulares personas ipsarum, seu adherentes, complices, vallitores vel sequaces alterius partis quocumque et qualitercumque illata, dicta, seu facta fuissent, et